Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 605
Quelle:
Copyright:

Initium: *Homo. Anima mea in angustiis est spiritus meus estuat* &c. *Fol.* 136. p. 2. *Incipit Liber Secundus.* Divisus est hic in multas *Rubricas*, quae non respondent titulis *Edit. cit.* et non raro iis pleniores sunt. Finis: *Tu mihi supra uitam meam places.*

XVI. *fol.* 150. p. 2. manus Seculi XIII. adscripsit *Decreta Hungarorum, quę a Guidone cardinali* (S. Laurent. in Lucina a. 1267.) *susceperunt.* Edidit ea ex hoc *Cod. Lambecius* L. II. p. 68. unde in *Collectiones Concc. Harduini, Coletii* et *Petersii* profecta *Kollarius* demum T. I. *Analect. Vindob. col.* 21. repraesentavit. Sacerdotum Coelibatum maxime spectant.

CXCVI. VI. H. 29.

667 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 79. 4. nitidissime scriptus in *Italia*, Literis initiorum deauratis picturatisque decorus, quondam emtus et possessus a *Barth. Ghisilardo*, ut bis notatur, dein a *Job. Sambuco* complectitur sequentia: I. *Magni basilij cesareę capadocię sanctissimi archiepiscopi ad instituendos adulescentes in lectione poetarum cęterorumque antiquorum scriptorum libellus Vnicus et pulcherrimus incipit.* Sed praecedit: *Leonardi Aretini eloquentissimi uiri in traductione magni Basilij prefatio ad colutium.* Hoc initio: *Ego tibi hunc librum coluti ex media: ut aiunt: græcia delegi.* &c. Opusculum ipsum infit: *Multa sunt filij: que hortantur me ad ea uobis consulenda* &c. Inscribitur illud lingua *Basilii:* Προς τους Νεους, ὅπος ἂν ἐξ Ἑλληνικων ὠφελοιντο λογων. et extat edit. *Opp. Maur. Paris.* 1722. T. II. p. 173. f. De Interprete *Leonardo Bruno Aretino* inter Literarum in *Italia* restauratores claro, qui an. 1444. vivendo adtigit, post *Laur. Mehus, Apost. Zenum* et *J. M. Mazzuchellium* egregie more suo pertractat *Hier. Tiraboscus* Hist. lit. Ital. T. VI. P. II. L. 3. p. 33. ubi et *Colutii Salutati* meminit, quo Praeceptore *Leonardus* in eloquentia latina *Florentiae* faventissimo usus fuerit. Versionem porro nostram utilissimi Libelli prima statim Prela multiplicare coeperunt adeo, ut mihi licuerit in *Supplementis Maittairii* hoc anno 1789. vulgatis plures Editiones ejus *Annalibus* addere, interque ceteras nemini hactenus memoratam *Budensem* typis *Andr. Hess* circa 1473. 4. proditam, quam nunc Bibliotheca nostra Palatina recepit.

II. *fol.* 17. *Alexandri macedonis. Hannibalis Karthaginensis Scipionis africani maioris trium summorum ducum de artis imperatorię presidentia contentio apud inferos sub minoe Judice ex lutiano auctore greco per dominum Johannem Aurispam in latinum de greco conuersa Feliciter incipit.* Initium: Alexander. *Me o libice preponi decet. melior equidem sum.* Hanni. *Immo uero me.* &c. Est hic inter *Luciani Samosat.* Scriptoris Sec. II. notissimi Διαλογους νεκρικους